

Celler's



Contenta.

- D. BALTHASERIS CELLARII DISPUT:
1. Discussio Principuorum fidei capitum inter Protestantes
et Pontificias controuersas. & Albrecht 57.
 2. De Primo Religionis Christianae principio & Mattayeman 59.
 3. De Divina rerum Scientia, futurorumq; contingentium
praescientia & Enckhisen 59.
 4. De Divina voluntate & Boning 59.
 5. De Divina Bonitate & Hackeman 60.
 6. De Nonnullis Scripturae locis Divinae bonitatis in speciem
contrariis & Hantelman 1660.
 7. Aurea salutis catena e cap. 8. v. 29. 30. ad Rom. & Wess p. Lic. 1660.
 8. De Principis fidei Orthodoxae controuersis & Rosa Ap. 57.
 9. De peccato originis & Froboß. 60.
 10. De Libero arbitrio. & Mener 1652.
 11. De peccato & Ulricj 1654. 12. De Ecclesia & Born 1650.
 13. De Republica spirituali seu de Ecclesia & Siebert 1651.
 14. De Bonorum operum studio omnibus, qui saluari cupiunt,
summopere necessario & Bercking 1651.
 15. De Visione Dei & Lüden 59.
 16. De cultu S. Mariae virginis apud Pontificios p. Lic. & d. Sellanij.
 17. De Communione sub utraq; specie. & Haberland 66.
 18. De Scriptura Sacra. & Othor 19. De peccato originis & Spuerel, 1650.
 20. De Iustificatione. & Dürr. 21. De bonis iustificatorum operibus & Linck 50.
 22. De Sacramentis in genere et in specie de Baptismo & Confirmatione
& N. N. 1651.
 23. De Eucharistia seu Coena Domini & Schmidt 1651.
 24. De Poenitentia & Lupke. 25. De Extrema unctione & Mejer 1651.
 26. De Communione sub utraq; specie et parvulorum & Heisius 52.
 27. De Sacrificio Missae & A. Fröling. 1652.
 28. De Ordine seu Ministerio Ecclesiastico & m. Walmig 1652.
 29. De Matrimonio & Goslar. 30. De Purgatorio & Ottekop 1654.
 31. De cultu Sanctorum & Gieseke 54. 32. De Sanctorum
Reliquiis earumq; cultu et ueneratione. & Gecius 1656.

35.

I. N. J.

ASSERTIONES THEOLOGICÆ
DE

THEOLOGIA IN
GENERE

Ordine deinceps instituendis in AUGUSTA-
NAE CONFSSIONIS articulos
Disputationibus

publicis

Præmissæ,

P R Æ S I D E

GERHARDO TITIO D.
S. THEOL. PROF. ORDIN.

Respondente

M. MATTHIA KLEFFELIO

A.

publicæ disquisitioni submittendæ

IN NOVI IVLEI AUDITORIO MAIORI

Ad Diem Maji.



HELMESTADII,
Typis JOHANNIS HEITMULLERI
Anno cl^ol^o cLXVII.

Mag. My.

ASSERTIONIS THEOLOGICAE
DE
THEOLOGIA IN

GENERE
Ordinis deinceps in Universitate Augustana
NAE CONFESSIONIS SINCEROS
Disputationibus

publicis

Præsentibus

FRASID

CERHARDO TITIO D.
S. THEOL. PROF. ORDIN.

Respondens

KL. MATTHIA KIEFFELIO

publicis disputationibus submittenda

IN NOMINE SACR. DIVISIONIS MAIORI

Ad Diem Martii



WELMSTADT
THEO. JOHANNIS HEITMILLERII
anno clxxxvii





Deo Trinuno Auspice.

Augustanæ Confessionis articulos cum constitutum in-
ter nos sit publicis aliquot Disputationibus expendere,
methodi exigere visa fuit ratio, ut primo omnium in
Theologiæ naturam inquireremus. Theologiæ enim
prius cognitâ habere oportet nativâ indolem, quâ in intimiora
eius adyta penetretur. De illâ igitur hic nonnulla præfari licebit.

II. Ut autem Theologiæ vocem primo attendamus, est i-
psa ἀγγελία, & ab Ethnicis ad Christianos traducta videtur, ceu
non tantum colligitur ex *Platone & Aristotele*, quorum ille li-
bro 2. de *Repub.*; hic lib 5. *Met.* c. 1. voce hac est usus; sed & ab-
bundè hoc constat ex *Lactantio lib. de Ira Dei c. 11.* & *Eusebio Cæ-
sariensi lib. 1. de præpar. Evang. c. 7.* Et quidem solet ea duobus
modis explicari, ut vel significet λόγον τοῦ Θεοῦ, adeoque The-
ologia à Deo tanquam primario etsi inadæquato suo objecto de-
nominetur; vel ut denotet λόγον τοῦ Θεοῦ hoc est sermonem Dei,
sive à Deo tanquam causa efficiente principali profectum. *Vid.*
Aug. l. 8. C. D. c. 1. Ultra expositio præferenda sit, non opus est de-
cidere: quia enim neutra quidquam à vero alienum dicit, non re-
pugnat, ut utraque simul juncta asseramus, Theologiam ratione
appellationis significare orationem sive doctrinam & à Deo tra-
ditam, & de Deo agentem Hoc cum tam de Theologia naturali,
quàm revelatâ dici possit: siquidem utraque à Deo est, & de Deo
agit; patet, quòd vox Theologiæ in communi complectatur si-
mul naturalem & revelatâ, atque adeo ab utraque præscindens,
denotet quemlibet sermonem, aut doctrinâ de Deo, ex utro tan-
dem principio, sive rationis, sive revelationis, accersatur.

III. De Theologiâ naturali tanquam primo membro in
voce Theologiæ generaliter sumptâ incluso, nihil hîc meretur
attingi, nisi quod licet ad aliqualem Divini Numinis notitiam
nos perducatur; ad consequendam tamen æternam salutem insuffi-
ciens sit. Præterquam enim quòd admodum pauca & imperfec-
ta sint, quæ de Deo ejusve cultu ex lumine naturæ cognoscun-

aur, etiam in hoc deficit Theologia naturalis, quod ex ea constare nemini possit, qua ratione Deus offensus sit reconciliandus, & num à nobis ipsis, an vero per alterius alicujus sublimioris personæ opera sibi pro offensa satisfieri velit. Insufficiens proinde sit necesse est naturale hoc divinæ notitiæ lumen. Unde *Thomas part. 1. summ. Theol. quest. 1. art. 1.* rectissime ait: *Veritas de Deo per rationem investigata à paucis, & per longum tempus, & cum mixtione multorum errorum homini provenit.*

IV. Quod Theologiam revelatam concernit, solet ea à Scholasticis varie dispesci, sed cum sermo in primis nobis sit de Theologiâ, quæ homines spectat, missis iis, dicimus Theologiam accipi pro Theologia vel viæ, vel patriæ. De hac, cum ad Ecclesiam triumphantem pertineat, nihil attinet dicere: de illa autem dispiciendum eo attentius est, quo magis ad nostrum omnium æternam facit beatitudinem. Solet autem Theologia viatorum accipi vel pro eorum tantum notitiâ, quæ ad salutem factu & creditu necessaria sunt, diciturque speciali nomine Theologia simplex; vel pro perfectâ omnium, quæ ad doctrinam Christianam spectant, cognitione, ac vocatur Theologia habitualis. Inter utramque hoc discriminis videtur constituendum, ut dicatur, posterioriorem à priori differre inadæquatè, sive tanquam includens ab incluso, quo de luculenter differentes consule *B. Calixt. in init. tractat: de usu disciplinarum in Theologia & B. Hornei: part. 1. Disput. Theol. Disp 1. num. 8. & seqq.*

V. Cæterum ex adductis his variis distinctionum Theologiz membris præcipuè Theologia habitualis attenditur; unde in hujus essentia perscrutanda hic unice occupamur. Ut autem ea exactius nobis innotescat, singula in quibus Essentia Theologiz habitualis consistit, perpendenda sunt; unde sicut omnis essentia ex duobus constat: conceptu nimirum generico & specifico; ita & naturam Theologiz iisdem oportet absolvi. Duobus igitur his cognitis, rota ratio formalis Theologiz innotescet. Quod ad prius, nempe conceptum Theologiz genericum attinet statuimus illum habitum intellectualem: Theologia enim per-

ficti

facit intellectum, ut quis scripturam possit dextrè explicare, & conclusiones probe inde deducere. Cum vero habitus intellectualis sit vel infusus, vel acquisitus, acquisitus hîc obtinet. Nemo enim nostrum perfectam adipiscitur Theologiæ cognitionem, nisi scripturam frequenter legat, eam sedulo meditetur aliisque ad genuinum scripturæ sensum eruendum necessariis adminiculis sit instructus. Horum adminiculorum necessitatem vel exipsis etiam Judæis agnovit *Rab. Majm*: eamque inculcat, quando *Mor. Nev. par. 1. c. 33. & 34.* docet quam varia cognitione quis debeat esse instructus, antequam in Scripturæ sanctuariû intromittatur, quibus confer quæ eandem in rem tradit *part. 3. c. 51.* Hoc vero jam constituto, quod Theologia sit habitus acquisitus, ulterius notandum est, quod habitus bifariâ dici possit acquisitus (1) ut actus quibus habitus acquiritur, sint purè naturales (2) ut naturalibus illis specialis accedat Spiritus S. gratia; priori modo artes & scientiæ humanæ habitus acquisiti dicuntur, posteriori sola Theologia.

VI. Porro habitus acquisitus est vel principalis, vel instrumentalis, aut ut alii loqui malunt, minus principalis. Principalem habitum hanc nostram Theologiam esse, quidam volunt; quidam eam minus principalem esse propugnant. Utraque sententia cum validis rationibus nitatur, quamnam nobis probabilior videatur, declarabimus in disquisitione. Ultra tamen assumatur, stabiliri à neutra potest eorum locutio, qui Theologiæ Philosophiam ancillari asserunt. Inservit quidem illa, ac perquam utilis est Theologiæ, veluti ex unico saltem *Excell. Dn. D. Joh. Musæi tractatu contra Vedelium* satis constat: neutiquam tamen fervit; Philosophia quippe non tenetur scita ac præcepta sua imperio Theologorum conformare, ut v. g. dicat illud creari, quod in suo fieri dependet à materia, aut neget illud esse causam, à quo aliquid dependenter esse suum habet, aut positivam privationem introducat. Potius Theologia tenetur à Philosophia desumere terminos Personæ, essentiæ, concreti, distinctionis realis etc. ac genuina inde ipsorum significata haurire.

VII. Denique habitus est vel Theoreticus, vel practicus. Quam divisionis hujus pars Theologiæ conveniat, ambigunt

A 3

Auto.

Autores. *B. Calixt, in proleg: in epit: Theol:* habitum practi-
 cum esse Theologiam docet, quod unà cum ipso propugnat *B.*
Hornesj. part. 1. Disp. 1. Quæ sententia etiam optima videtur, ac
 non tantum probatur ex ipsis Christi verbis, qui non auditores
 verbi, sed factores salvandos esse affirmat: verum etiam ex ipsis
 requisitis habitus practici Theologiæ exacte competentibus ea-
 dem confirmatur. Primo enim Theologia habet subjectum o-
 perationis, quod actibus suis immutat, estque homo peccato cerra-
 ruptus, quatenus fide est instruendus. Deinde finis ejus proximus
 fides, est actus voluntatis & praxis. His accedit, quod præcipui
 Theologiæ actus sint formaliter practici, hoc est praxeos alicujus
 directivi, reliqui vero sunt virtualiter tales; quia cum actu
 formaliter practico inferunt conclusionem formaliter practicam:
 sic quæcunc de Deo, de incarnationis mysterio scriptura tradit,
 ea à nobis iam cognosci voluit, ut Deum recte colere, & merito
 Christi confidere disceremus. Hunc in sensum scite dicit *Majm:*
Studium Legis, sive Theologia deducit ad opus: præcedit enim pra-
xin Theoria ubique. Verbo: universa Theologia docet, quomo-
 do recte sit credendum, ac pie vivendum: qui sane actus manife-
 ste sunt practici. Hinc præclare statuta Juliæ nostræ de Theolo-
 De Col. gia hunc in modum loquuntur. *Est Theologia non theoretica sed*
 leg. The *πραξιαν, ars vere pietatis & fidei ac obedientia erga Deum, & be-*
 olog. *nignitatis erga proximum, pie vivendo ac bene faciendo potius, quàm*
argutè disputando exercenda.

IIX. Quod attinet conceptum Theologiæ specificum, de-
 sumendus hîc ille ab iis est, per quæ Theologia ab aliis habitibus
 differt. Per tria vero Theologia (uti & quivis habitus practicus
 à theoretico) differt à cæteris disciplinis, nempe per finem, subje-
 ctum & media: unde ab his etiam Theologiæ conceptum specifi-
 cum deducere convenit. Quoad subjectum unde differentia
 aliqua pars petenda est, hoc nomine in practicis disciplinis illud
 tantum venire solet, in quod finis per media introducitur. Hac
 ratione subjectum Theologiæ materiale, est Homo in peccata
 prolapsus, formale quatenus ad fidem & vitæ sanctimoniã perdu-
 cendus: in hominem enim lapsum æque introducitur Theolo-
 giæ

giæ finis, ac in Ethicæ subiectum virtutes & consequenter beatitudo civilis. Subiectum considerationis, seu potius objectum, si generalius sumatur, quo respectu objectum in disciplinis theoreticis dici solet, nihil obstat quo minus dicamus, objectum Theologiæ & quidem materiale, esse omne id, quod in Scriptura S. divinitus est revelatum, formale autem, quatenus ex revelatione divina cognoscibile est.

IX. Secundo desumitur Theologiæ differentia à fine, quippe qui in practicis potissimum attenditur. Est vero finis vel internus sive proximus, vel externus sive remotus. Finem Theologiæ internum diversis verbis proponunt Theologi. Quidam eum vocant reparationem Homini ad imaginem divinam; quidam justificationem, quidam ad pietatem informationem. Sed hi quoad rem ipsam parum inter se dissident. Nos verbo dicimus, proximum Theologiæ finem esse fidem per verbum in cordibus Hominum accendendam; remotum vitam æternam, quatenus est acquirenda. Observatio mandatorum Dei à quibusdam quoque pro fine proximo habetur, sed id verum saltem est de fine proximo concomitante sive secundario, non de principali. Alias etiam homo peccator dici solet finis Cui, quatenus autem est salvandus, finis Cujus.

X. Tertio etiam Theologia ab aliis habitibus discernitur per media. Sicut enim essentia Theologiæ his tribus quoad differentiam specificam absolvitur partibus, ita etiam per singulas à cæteris differt. Sunt vero media, eaque proxima, quibus Theologiæ finis obtinetur, verbum & sacramenta: illa enim fidem salvificam vel proxime generant, vel genitam confirmant & roborant, & ad hunc saltem determinate finem, non alium, consequendum faciunt. Alii dicunt Christum, verbum & fidem esse Theologiæ media, sed hanc assertionem non uno premi inconvenienti, in disquisitione dabimus probatum.

XI. His ita deductis nunc in propatulo, est in quo conceptus genericus & specificus Theologiæ consistat, ex quorum utroque cognito talis Theologiæ definitio colligitur: *Theologia est habitus mentis practicus ex verbo divino revelato tradens media, quibus homo lapsus iustificari, & æternum salvari possit.*

XII. Posito itaque nostro de Theologia asserto, aliorum, qui diversum à nobis sentiunt, opiniones paucis attingere instituemus. Dictum autem supra fuit, Theologiæ genus esse habitum mentis acquisitum, cui primæ assertioni multi sese opponunt. *Vrsinus & Keckerm:* magis propinquum genus constituturi, contenderunt Theologiam per prudentiam esse definiendam. His directè contrariã sententiã fovet *Meisnerus in Philos. Sobria parte 1. sect 2. c. 2. q. 1.* ubi Theologiã per prudentiam definiri non posse statuit, quanquam ejus ad probandum adductæ rationes rem non sufficienter evincunt. *Scotus prolog. in 1 sent: q. 4. & 5. ac Polanus l. 1. syntag. c. 9. instit: Theol.* ponunt Sapientiã, idque partim propter habitus Theologici excellentiã, partim quòd ipsi sapientiæ requisita competant, quod ultimum etiã *Valentia Comment. Theol. Tom. 1. disp. 1. quest 1. puncto 4.* manifeste satis hic ostendit. Horum sententiæ suffragari etiã videtur *Thom. hic art. 6.* ubi Theologiã tam perfectam esse docet, ut sapientia dici mereatur.

XIII. Præter hos dantur adhuc alii, qui Theologiam per scientiam definiunt, & quidem ex Scholasticis plurimi. *Thomas part: 1. quest. 1. art. 2.* huic sententiæ magis quam propriè subscribere videtur, quanquam *Valentia hic quest. 1. puncto primo* potius *Cajetanum & Capreolum* statuere ait, Theologiam esse propriè dictam Scientiam. Sed quicquid sit, Scholasticos hac in parte Scholasticis merito opponimus, nominatim. *Durandum in prolog. sent. quest. 2. Ariminens. quest 1. Ockham. quest. 3. Marsil. quest. 2.* qui Theologiam non esse scientiam, prout ea sumitur ab *Aristotele l. 6. Eth. c. 3. & 1. anal. poster. c. 2. t 5.* contra illos defendere satagunt. Proinde cum recensitis his opinionibus sigillatim discutiendis locus non sit, omnibus hæc in universum reponi posse censemus, quæ tradit *Broehm. system. Theol. c. 2. quest. 1* hunc in sensum: Quod, etiamsi quædam requisita habituum Aristolicorum conveniant Theologiæ, ac ipsa Scriptura modo eam appellet scientiam, modo prudentiam, modo sapientiam; ideo tamen Theologia per sapientiam &c. non sit definienda, nec in scripturâ in eo plane sensu nomina hæc, quo Aristoteles ea usurpat, Theologiæ attribuantur.

Deins

XIIII. Deinde dictum etiam superius est, Theologiam esse habitum practicum. Quo ipso non hoc quidem assertum volumus, quasi Theologiae exacte competant omnia, quae juxta Philosophum habitui practico, naturali intellectus virtute acquisito, conveniunt: Hic quippe subjectum in se non habet sufficientem vim ad finem suum obtinendum, vitam scilicet aeternam, nec media ad hunc finem ducentia ejus potestati subjacent, velut alias in habitibus practicis fieri constat: certe fides non est opus naturalis intellectus facultatis, sed a speciali spiritus sancti gratia pendet. Proinde potius Theologiam ideo inter habitus practicos recensuimus, quia essentialiter ad praxin tota ordinatur. Involvit quidem Theologia duo, quorum primum est omnium rerum divinitus revelatarum notitia, alterum divini cultus juxta hanc notitiam institutum exercitium, sed prioris tantum habetur ratio propter posterius. Unde quando *D. Himmel: in Syntag: Disp: Theol. de nat: Theol: th. 8.* inter *θεολογία* & *θεοσεβεία* hoc discriminis esse statuit: quod illa verum de Deo sensum; hac pius erga Deum cultum: illa Theoriam; hac praxis denotet; non potest haec differentia subsistere, nisi vox Theologiae tantum partialiter sumatur.

XV. Caeterum, sicut qui primo membro contradicerent non defuerunt, ita nec hic deficiunt, qui Theologiam practicam esse negent. *Valentia* juxta ductum Thomae Theologiam statuit habitum mixtum, magis tamen speculativum *disp: 1. quaest. 2. puncto. 3. h. l.* *Hervaeus* eidem succenturiatur in prologo *quaest: 4.* Nec Scholasticorum tantum plurimi huic sententiae accedunt, ut pote qui in contemplatione ac evolutione subtiliorum quaestionum Theologiae studium praecipue ponunt; sed & ex nostratibus haud pauci. Mitior tamen eorum opinio est, qui Theologiam habitum formaliter practicum, speculativum vero secundum quid esse, autumant. Rectissime omnium *Albert: M. in sum. part. 1. tractat: 1 quaest. 3.* & *Scotus in prolog: quaest: 4.* sentiunt Theologiam solum practicam esse. Thomae autem sententiam non mereri calculum vel inde satis evidens est, quia

B

quia



quia habitus Theoreticus & practicus involvunt differentias oppositas, quæ uni simul competere nequeunt. Quia propter habitus mixtus non datur.

XVI. Ut ad objectum nunc deveniamus, de eo etiam diversimode Autores sentiunt. Quidam Theologiæ objectum constituunt res & signa i.e. Sacramenta & fidei articulos: quidam Deum quatenus per revelationem cognoscibilis est, & quæ longe plures dantur opiniones, quas apud *Caietan.* *Becan.* & *Brochmannum* vide. Sed contra omnes in genere tenendum probe est 1. Quod objectum latitudine debeat disciplinæ exactè adæquari 2. quod in disciplinis practicis aliud sit objectum considerationis, & aliud operationis, priori modo sub objecto Ethicæ v. c. etiam comprehenduntur finis & media, posteriori vero tantum subjectum stricte dictum. His duobus observatis, præcipua dilui possunt adversantium argumenta. Sic ex priori facile constat, Deum quatenus per revelationem cognosci potest, non esse adæquatum Theologiæ objectum: non enim tota Theologia insumitur naturæ divinæ explicandæ, sed & de Angelis, de rerum creatione, aliisque agit. Similiter ex posteriori colligitur, quod, quando nonnulli dicunt objectum Theologiæ esse ea, quæ creditu & factu ad salutem necessaria sunt, illud tantum de objecto considerationis & quidem inadæquato, verum sit; sed quia hic potissimum operationis objectum respicitur, id nullum aliud esse potest, quàm homo salvandus. Homini enim in Theologia per media finis, nempe vita æterna, acquiritur.

XVII. Cognito jam in thesi pariter & antithesi, per quid Theologia constituatur, dispiciendum restat, quomodo constituta debeat dividi. Ad hoc verò investigandum primo omnium supponi oportet, Theologiam in se non plures esse habitus, uti volunt *Ariminens.* & *Biel.* sed esse eam, idque juxta *Albert. M. 1. part. sum. quest. 2. membr. 2.* & *Henicum Gandavens. in sum. art. 6. quest. 5.* æque unum quoad speciem habitum, ac Ethicam. Hoc nunc supposito, sequitur, quod Theologia, quatenus est habitus practicus, essentialiter nullam aliã admittat divisionem, quam alius habitus practicus specie unus. Juxta hanc igitur ra-

tionem *B. Calixt.* Optime Theologiam dividit in partem
Generalem & Specialem. Atque hac divisio est essen-
tialis Theologiæ. Utraque vero ejus pars quid tractet, aut
quomodo deducatur, non fert institutum nostrum, hinc ex-
ponere, vide *l. c. Calixt.*

XIIII. Præter hanc verò essentiali divisionem ad-
mittit Theologia adhuc aliam, quæ quidem ex diverso mo-
do, quo Theologia in explicanda & confirmanda fide vers-
atur, resultat. Prout enim Theologia diversa ratione fun-
gitur munere suo, fidem & doctrinam Christianam propo-
nendi & explicandi, diversas sortitur appellationes ac dif-
ferentias accidentales. Atque hoc respectu dividit eam *h. l.*
Valentia quest. 1. puncto. 1. in duas partes, in Theologiam
positivam & scholasticam. Alii trimembrem hanc divisio-
nem faciunt, & in Positivam, Exegeticam, & polemicam
Theologiam partiuntur, rationemque inde petunt, quia
potissima Theologi munera ad tria redeunt, ut 1. Scriptu-
ram rectè explicet, 2. Ut conclusiones ex Scriptura legiti-
mè deducat. 3. Ut errores ac hæreses fidei adversantes re-
futat; unde pro triplici hoc officio tres etiam constituunt
Theologiæ classes. Alii prioribus membris adhuc addunt
Theologiam moralem catechetica & casualem. Prout
autem hi autores diversas constituunt partes, diversimodè
eas etiam explicant; hinc aliter Theologiam positivam ac-
cipiunt, qui bimembrem Theologiam faciunt, quàm qui
plures ejus recensent partes. Nobis, si quædam divisio ex
præcipuis Theologiæ officiis sit petenda, commodissimè
Theologia videtur ad quatuor classes posse redigi, quarum
primam constituit Theologia positiva, secundam polemi-
ca, tertiam exegetica, quartam moralis.

XIX. Theologia positiva fidei & doctrinæ Christia-
næ articulos ex verbo revelato proponit; Polemica eosdem
defendit; Exegetica illos ex codice sacro ad ædificationem
auditorum explicat; Moralis denique vitam instruit, &
dogmata sacra ad mores applicat vid. *Meisnerus in præco-*

gnit. Theol. & Gerhard. ab init. Exegeteos. Comprehendi-
mus autem sub Polemicâ etiam Scholasticam, utpote quæ
Theologiæ polemicæ generatim acceptæ pars est; quemad-
modum & sub morali Theologiam casuum contentam vo-
lumus: ut enim vita Christiani eo, quo par est, modo in-
struatur, requiritur etiam conscientiæ informatio. Nec o-
pus ut Theologiæ morali contradistinctam partem facia-
mus Eusebianam: moralis enim Theologia nihil aliud est,
quam ad pietatē informatio. Multo minus paraclética pecu-
liaris Theologiæ pars dici meretur, multiplicantur enim sic
contra præcepta Philosophi divisionis membra, & si paraclé-
tica distinctam pareret Theologiæ partem, multo plures ad-
huc constituendæ essent.

XX. Cognitâ jam Theologiæ indole, duo inde facilè
colligi possunt, quorum primum est, quid sit Theologus,
alterum, qua methodo Theologia sit tradenda. Quoad pri-
mum solet communiter Theologus describi is, qui doctri-
nam Christianam promptè ex Scriptura S. deducere, confir-
mare, & contra adversarios defendere potest. Sed insuffici-
ens adhuc videtur hæc descriptio. Quippe cum Theologia
præctica sit, qui nomen ab ea ducere affectat, ad ejus præscri-
ptum se conformare tenetur: Sic qui novit doctrinâ morum
tradere, nondum meretur nomen propriè dicti Ethici, sed
is demum, qui secundum præcepta moralia vitam suam in-
stituit. Requiritur proindè à Theologo, ut non tantùm ex-
acta doctrinæ Christianæ notitiâ sit præditus; sed & ut ad
præscriptum doctrinæ Christianæ totum se accommodet:
absque hoc ultimo si sit, *ὁμολύμωσ* tantum aliquis Theo-
logus dicitur.

XXI. Quod concernit alterum, ordinem sc. quo ex
arte tradi debeat Theologia, non convenit de eo inter Au-
tores. Tenendum autem ante omnia hic est, quòd, licet o-
mnis methodus sit propter faciliorem cognitionem, hoc i-
pso tamen non perinde sit, quamcunque assumere aut ali-
quam

quam, quocunque modo cognitionem nostram facilitantem excogitare methodum; sed cum illa debeat rebus ipsis ac naturæ habitus esse conformis, ex indole disciplinæ dijudicandum est, quænam propria disciplinæ sit, ipsique aptari debeat methodus: si quis enim practicas disciplinas ordine traderet Synthetico, manibus diceretur adhibere calceos. His præmissis patet, non satis esse qualemcunque invenire articulorum fidei connexionem & secundum hanc ipsos tradere (quod nonnullos facere constat) sed illa demum probanda erit connexio, qua non tantum præmittuntur ea, à quorum cognitione reliqua dependent: sed & quæ habitui conformis. Hinc inferitur, quod, cū Theologia practica sit, conveniens sit eam tradi methodo Analyticâ, secundum quâ quomodo tractatio ejus instituenda sit docet Dn. Calixt. in *prolog. Epit. Theol.* Ipsos quidem quod hoc in negotio, concernit Veteris Ecclesiæ Doctores, de modo Theologiæ tradendi methodicè, nō ipsi adeo fuerunt solliciti, nō tamen id insuper planè habuerunt: Siquidē Dn. Broehm. h. l. c. 2. q. 4. quosdā recenset, qui nonnulla jã tum diversis temporibus literis consignarunt, è quibus tamen, qui totã Theologiam traderet, primus fuit Damascenus monente Dn. Præside in *proleg. thes. Theol.* Confer quoque hic Celeberr. Chemnit. *de usu & utilitate Locor. Theol.*

XXII. His ita expositis, illa quæ ad Theologiæ quidditatem in se spectant, manifesta sunt, sed cum ad penitentiorem causati cognitionem multum conferat causæ consideratio, principium hic, unde Theologia arcessitur simul expendere juvabit. Notandum ergo, quod quemadmodum in cæteris disciplinis, ita & hic ex uno ad aliud progrediamur, ut unum ex altero probemus, aut deducamus, quas deductiones, ne vel in infinitum abeant, vel in circulum commeent, sisti oportet in aliquo primo, quod ipsum non probetur, aut deducatur. Tale vero primum cognoscendi principium vel complexum, vel incomplexum esse potest.

B 2

primum

Primum Theologiæ principium complexum, est tale. Quicquid Scriptura Sacra dicit, hoc est divinitus inspiratum; per hoc enim non tantum alterum illud principium probatur: Quicquid Scriptura docet, verum est; sed & aliud quoddam secundarium proximè inde deducitur: Quicquid universalis Ecclesia docet, infallibiliter verum est: quod ipsum tamen respectu prioris se instar conclusionis habet. Hoc igitur primum principium, cum nullum eo detur prius, directe probari nequit; sed sicut sani ac ratione utentis hominis titulum tueri non posset, qui prima repudiaret rationis principia; ita nec is retineret nomen Christiani, qui de principii hujus veritate ambigeret. Hæc de principio complexo. Quoad primū Theologiæ principium incomplexū, est illud Scriptura S. Nā Scriptura est primum elementū, ex quo variæ propositiones desumuntur ad probandas conclusiones Theologicas, & in Scripturam ultimo resolvuntur omnes disputationes Theologicæ. Licet vero Scriptura sit aliquid complexum, & ex multis tum credendis tum faciendis aggregatum, complexum tamen principium hoc ipso non est.

XXIII. Hoc jam ordine deducto, quod Scriptura S. sit Theologiæ principium, nonnulla inde consequuntur & quidem 1. quod Scriptura sit principium Theologiæ unicū. Cum enim quicquid de Deo, & rebus divinis credere oportet, sufficienter revelatum sit in Scripturis sacris, nemo non videt, quod Scriptura S. eaque sola Theologiæ principium sit, veluti loquitur *Brochm. h. l. c. 2.* Deinde cum nihil dici possit verum fidei cognoscendi principium, quod non indubitato certum sit, Scripturam etiam infallibile principium esse oportet. Hanc vero affectionem Scripturæ competere, vel inde liquet; quia non ab hominibus, sed ab ipso infallibili Deo, tanquam causa principali profecta est.

XXIV. Porro cum Scriptura S. appelletur Theologiæ principium respectu cognitionis nostræ, perspicuum illud

id esse asserimus. Quando autem Scripturam perspicuam esse Gerhar-
se asserimus, nec Spiritus S. illuminationem internam, nec or-
duem Exe- peram ministerij Ecclesiastici in Scriptura S. interpretatione ges. Lo-
externam exclusam cupimus, sed hoc duntaxat volumus, do- cor. de
gmata ad salutem scitu omnibus necessaria tam clare & perspi- Scriptu-
cue in Scripturis proponi, ut non sit propter ea relictis Scriptu- ra S. S.
ris ad traditiones, ad iudicium Ecclesie Romanae, ad dicta Patrum, 429.
ad decreta Conciliorum &c. confugiendum, sed ut ex solis Scriptu-
ris de dogmatibus illis & possit & debeat certi aliquid statui, &
ut Laici etiam ad illas legendas admitti & possint, & debeant.


XXV. Ultima denique hujus principii proprietas est
quod sit perfectum h. e. sufficienter omnia creditu factuque
ad salutem necessaria proponat. Hæc verò proprietas non
ex mole librorum, neque ex rerum, quas tractat multitu-
dine, sed unice ex sufficientiâ ad salutem æstimatur. Sic ita-
que spectata Scripturæ perfectio, probatur hunc in modum:
Si nullum dogma ad salutem necessarium, nullum sacra-
mentum, quod quidem ex vi institutionis divinæ effectum
Spiritualement & supernaturalem habeat, nullum item præ-
ceptum morale afferri potest, quod in Scripturis non conti-
neatur, vel saltem ex illis manifestò deduci nequeat, sequi-
tur Scripturam esse sufficientem. Verum autem est prius.
E. & posterius. Quod si Pontificii negent prius, necessum
fuerit, ut tale aliquod sive dogma, sive sacramentum, sive
præceptum morale afferant, de quo ostendant necessarium
quidem illud ad salutem esse, nec tamen in Scripturis con-
tineri. Hinc Basilii Magni *Exposit. fidei. Manifesta prola-
psio à fide, & superbia crimen est, aut repudiare aliquid eorum
quæ scripta sunt, aut superinducere quidquam non scriptum.*
Et Vincentii Lerinensis in suo *Commonitorio: Perfectus est
Scripturarum canon, sibi que ad omnia satis superque sufficit.*

XXVI. Has quatuor recensitas Principii Theologici
sive Scripturæ proprietates, & Pontificii, & Anabaptistæ, &
Weigeliani fervide impugnant. Calvinianis & Socianis etiã
tribui solet, quod præter Scripturã principium fidei faciant

dictamen rectæ rationis: verum videntur illi magis hoc postulare, quod Scriptura ita sit interpretanda, ut ejus interpretatio cum recta ratione nunquam pugnet. Atq; hoc quidē in thesi ita propositū, non culparemus. Verū quia thesin hanc pessime ad hypothesein transferunt, & pugnas sæpè fingunt inter sensum Sacræ Scripturæ & rectam rationem, ubi revera non sunt: hinc à magna temeritate hi Homines non possunt absolvi. Sed de diversis his adversariis plura addere cum prohibeamur, videantur *B. Calixt. disput. de princip. theol. & Brochm. hinc c. 4.*

XXVII. Antequam tamen hanc de Theologiæ principio doctrinam finiamus, verbo monendum adhuc restat, quod, quemadmodum Scriptura omnium credendorum principium est, ita etiam ex eo Ecclesiæ symbola & confessiones, utpote quæ credenda proponunt, tanquam ex principio suo desumantur. Ex hoc itaq; credendorum promptuario non tantum ab initio statim desumptum est Symbolum *Dieter. in instit. Apostolicum*, sed & ex eodem alia postmodum, puta Athanasianum, Nicænum &c. constructa sunt, quanquam hæc *catech. Subtit. de sym- bello.* propriè alia non sunt ab Apostolico symbolo, sed ejus saltem repetitio, & ad infringendas Hæreticorum perversas interpretationes uberior declaratio. Pari ratione Majores nostri superiori seculo desumpserunt ex hoc principio Augustanā Confessionē. De qua cum antiquis symbolis & confessionibus collatā *D. Hutter. disp. 1.* in illam, hunc in modū scribit: *Maximum ergò discrimen inter scripta Prophetarum & Apostolorum quæ vocamus Biblica, & inter Symbolicum hunc libellum constituimus, ut qui non auctoritate, sed eatenus fidem & assensum in Ecclesiā meretur, QUATENUS cum sacro illo Canonis & Canone per omnia concordat. Quin imò ne huius quidem nostri Symboli auctoritatem cum veteribus illis Symbolis æquari posse, ipsi statuimus; quippe quæ ab Universali Ecclesiā fuerunt recepta & approbata, hoc verò particularis duntaxat Ecclesiæ confessionem proponit. Et de hac Confessione, ejusq; articulis in seqq. disputationibus collatio erit instituenda.*

F I N I S.



96789

AB: 96789

ULB Halle


3


005 835 186



Vd 17







35
I. N. J.
ASSERTIONES THEOLOGICÆ
DE
THEOLOGIA IN
GENERE

Ordine deinceps instituendis in AUGUSTA-
NAE CONFSSIONIS articulos
Disputationibus

publicis

Præmissæ,

PRÆSIDE

GERHARDO TITIO D.
S. THEOL. PROF. ORDIN.

Respondente

M. MATTHIA KLEFFELIO
A.

publicæ disquisitioni submittendæ

IN NOVI IVLEI AUDITORIO MAIORI

Ad Diem

Majis



HELMESTADII,
Typis JOHANNIS HEITMULLERI
Anno clcxcLXVII.

Manj. Manj.

